Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



45

28) Gaufridus vit. S. Bern. l. 1, c. 6.

29) Gaufridus vit. S. Bern. l. 1, c. 5.

30) Gaufridus vit. S. Bern. l. 2, c. 3: Abbas Raynaldus Cisterciensis, quem ex Claravalle assumtum Pater sanctus Bernardus et ut filium amplectebatur, et reverebatur ut patrem, ob quorundam monasteriorum ordinationem Provinciae partes intravit. De quo vir Dei in Claravalle consistens, dum fratri cuidam loqueretur, subita inspiratione permotus: Dominus, ait, Cisterciensis aut mortuus est, aut in proximo moriturus. Henriques in Menol. Cisterc. ad 16 Maji: In Gallia beatus Raynaldus Abbas Cistercii, et totius Ordinis Superior vigilantissimus, qui caritatis operibus mirifice intentus, et caelestem in terris vitam ducens, variis signis effulsit, atque aliquando inter caelestes spiritus cum magna gloria visus est, et tandem sanctitatis titulo illustris quievit in Domino. Visione modo dictam narrat Exordium magnum dist. 1.

31) Bernardus ep. 270 ad Eugenium Papam: Dominus Cisterciensis Rainaldus deseruit nos: plaga magna in Ordine. Mihi vero duplex incumbit maerorum ratio; qui in uno homine et patrem amisi, et filium. Et nunc habemus pro eo Dominum Gozuinum Bonaevallis Abbatem. Sit beneplaciti vestri confortare eum literis Apostolicis: et quod de eo factum est, vestro roborate favore. Nostis eum, et non est apud vos opus commendatore, quem satis commendat vita sua, et sapientia sibi data a Deo. Matthaeus Parisius Hist. Angl. ad an. 1151: In Capitulo Cisterciensi statutum est, ne de caetero aliquis novum construeret Abbatiam; quia numerus Abbatiarum illius Ordinis usque ad quingentas excrevit. Quam frustraneum fuerit hoc decretum, eventus docuit.

32) Bullam integram recitat Manriques Annal. ad an. 1152 c. 2; et Henriques inter Privilegia Ord. Cist. subscriptiones: Ego Eugenius Catholicae Ecclesiae Episcopus S. dein Cardinales sedecim: demum: